



## **Syntagmata Theologica Sive Principalis Theologiæ Tractatus**

Continet triplicem Tractatum: Primus est de Conscientia. Secundus agit de Merito. Tertius de Reviviscentia meritorum.

**Lourenço, Agostinho**

**Leodici Eburonum, 1692**

Sectio VII. Vtrùm omnia Sacramenta ad suos effectus reviviscant?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80151](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80151)

nunc ex lege divina non est absolute imposita peccatis nostris poena Purgatorii, sed sub conditione, vel disjunctione, id est, aut illa in vita futura, aut aliqua moraliter proportionalis in hac vita; ergo qui alterum istorum facit, satisfacit legi Dei; ergo satisfacit ex iustitia, & de condigno.

149. Dico 2. Quando poena est accidentalis, seu extraordinaria, non potest iustus pro illa de condigno satisfacere: imò neque aliquid facere, quo infallibiliter talis poenae remissionem consequatur. Ita *Medin. tr. 2. de Confessione q. 46. P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 37. sect. 9. num. 3. P. Tanner. tom. 4. d. 6. q. 8. dub. 2. num. 52. & alii.* Probat, quia cum huiusmodi poena semper sit poena huius vitae, & aliquando ejus comminatio sit absoluta, & ex definita Dei sententia, hæc non mutatur, quidquid homo operetur; sic enim David. 2. Reg. 12. per multas lachrymas vitam filii, in quo punitus est, obtinere non potuit. Confirmatur ex *D. Aug. lib. 2. de Peccat. merit. cap. 34. & lib. 2. contr. Faustum cap. 27. & tract. 124. in Joan. ex quo idem desumunt P. Soar. & P. Tanner. cit.* Probat, secundò ratione, quia de remissione huius poenae nulla est certa promissio, nec lex statuta; sine hac autem non potest dari satisfactio de condigno, & ex iustitia, ut patet ex supra dictis. Unde.

150. Advertes, si quando obtinetur à Deo remissio, aut commutatio huius poenae, (ut sunt varia exempla in Scriptura Sacra Exod. 32. Numer. 26. 2. Reg. 24. Joan. 3. & alibi,) id non esse per modum satisfactionis de condigno, sed per modum imputationis, & meriti de congruo, quatenus Deus exaudit orationes, & merita suorum amicorum; nam sicut hæc poena non est necessariò conjuncta culpæ, sed est quasi voluntaria, ita in eâ dimittendâ non servatur ratio iustitiæ, sed gratiæ, & liberalitatis, quam Deus interdum concedit, interdum autem iusto iudicio negat.

SECTIO. VII.

Utrum omnia Sacramenta ad suos effectus reviviscant?

151. **C**UM de meritorum, & gratiæ reviviscencia sit sermo, non incongruum visum est præsentem quaestionem de Sacramentorum reviviscencia quoad suos effectus præstandos excitare, & inquirere, An, & quomodò hæc suscepta, recedente fictione, iterum ad suos effectus præstandos reviviscant? pro quo:

152. Advertes primò, omne obstaculum impediens effectum principalem Sacramenti à *D. Aug. lib. 1. de Baptismo cap. 1. D. Tho. 3. p. q. 69. art. 9.* aliisque Theologis generatim vocari *fictionem*; eum verò, qui obstaculum, seu obicem ponit, vocari *fictum*, quatenus in Sacramenti susceptione factò ipso, & opere externo significat, se velle aliquid, nempe Sacramentum, & ejus effectum, cum tamen, aut eorum alterum, aut utrumque re ipsa nolit, hoc ipso, quod vel alteri, vel utrique obstaculum, impedimentum, sive obicem ponit.

153. Advertes secundò, dupliciter posse Sacramentum fictè suscipi: Primò, quando deest aliquid essentialè ad illud requisitum, nempe si deest vera materia, aut forma: aut aliquid logicè requisitum, ut intentio Ministri, vel susipientis. Secundò, quando ponitur quidquid essentialiter, & logicè requiritur ad essentialitatem, & va-

Tom. 2.

lorem Sacramenti, ipse tamen suscipiens illius effectum impedit, quatenus non est dispositus ad gratiam, aut quia in susceptione committit peccatum, quatenus, si sit adultus, in susceptione Baptismi omittit contritionem, vel attritionem: aut si petat à Ministro hæretico, à quo deberet abstinere: aut etiam si accedat indispositus inculpabiliter, & sine peccato, quia ignorat, aut non advertit ad defectum dispositionis; tunc enim, licet non peccet, non tamen recipit effectum Sacramenti.

154. Advertes tertio, quaestionem non procedere de Sacramenti primo modo susceptis; siquidem cum in eo eventu deest aliquid essentialè, aut necessariò requisitum, non exitit Sacramentum, ac proinde iterandum est, neque de illo potest inquiri, an reviviscat; quod enim nunquam fuit, quomodò potest reviviscere? Procedit igitur difficultas de Sacramenti, illisque omnibus, secundo modo susceptis, quando scilicet ponitur obex eorum effectibus, aut culpabiliter, aut inculpabiliter, in quo variæ sunt Doctorum Sententiæ.

155. Prima sententia id negat de Baptismo, ac proinde de omnibus aliis Sacramentis. Ita *Gloss. in cap. Tunc valere de Consecrat. dist. 4. & videtur tenere Alens. 4. p. q. 8. memb. 12. sine*, quatenus dicit, gratiam impeditam per fictionem Baptismi recuperari per poenitentiam, in quo videtur sentire, ad hunc effectum non esse necessariam Baptismi reviviscencia.

156. Secunda sententia tenet, omnia Sacramenta fictè suscepta præstare suos effectus, recedente fictione. Ita *D. Thom. in 4. dist. 17. q. 3. art. ult. ad q. 1. Caiet. tom. 1. opuscul. tract. 5. cap. 5. P. Henric. lib. 1. de Sacram. cap. 25. Nunnez. 3. p. q. 62. difficult. 6. P. Soar. tom. 3. in 3. p. d. 28. sect. 6. P. Egid. q. 62. dub. 5.* qui duo unam excipiunt Eucharistiam; & alii infra citandi. Fundantur, quia plura Sacramenta, ut quæ characterem imprimunt, iterari non possunt; sicut neque Matrimonium, eadem vivente uxore, neque Extrema unctio in eadem infirmitate; sed hæc sæpè suscipiuntur in peccato mortali; ergo nè suscipiens perpetuò privetur gratiâ, quam conferunt, debent illam recedente fictione conferre.

157. Fundantur deinde quoad Sacramentum Poenitentiae, quia licet hoc iterari possit, non tamen semper tenemur peccata fictè confessi, iterum confiteri, ut quando illa confessi sumus cum sufficienti dispositione ad valorem Sacramenti, non autem sufficienti ad ejus effectum; ergo nè hæc peccata remaneant indeleta, debet Sacramentum Poenitentiae, recedente fictione, gratiam peccatorum remissivam conferre.

158. Tertia sententia id affirmat de Sacramento Poenitentiae, & reliquis imprimementibus characterem. Ita *Palud. in 4. dist. 4. q. 5. art. 3. & dist. 17. quest. 8. Conclus. 3. Capreol. dist. 7. art. 1. Conclus. 2. & art. 1. ad. 1. & dist. 17. q. 2. art. 1. Conclus. 2.* qui probabile putat de Circumcisione *dist. 1. q. 1. art. 3. ad 7. Durandi contra 4. Conclus.* quæ per externum characterem materialem operabatur, recedente fictione ex *D. Thom. in 4. dist. 1. q. 2. art. 4. ad 1. q. ad 3. ibi: Sicut in Baptismo manet character spiritualis, ratione cuius fictus, depositus à fictione, effectum recipit Baptismi, ita manebat character exterior in Circumcisione, qui hoc idem efficiebat.*

159. Quarta sententia solum id affirmat de Sacramentis characterem imprimementibus. Ita *D. Bonavent. in 4. dist. 4. art. 2. quest. 3. Gabr. dist. 17. quest. 1. a. 3. dub. 2. Richard. art. 1. quest. 2. Medin. tract. de*

Z z z

Confess.

*Confess. quæst. 20. & alii. Fundantur, quia character est proxima dispositio ad gratiam; ergo, remoto obice, gratiam producit; siquidem omnis causa impedita, sublato impedimento, suum effectum producit.*

160. Quinta sententia affirmat tantum de Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ. Ita *Durand. in 4. dist. 4. q. 4. num. 8. & dist. 17. quæst. 13. num. 7. Can. Relect. de Pœnit. part. 6. & alii. Fundantur, quia hæc solum duo Sacramenta sunt necessaria ad salutem.*

161. Sexta sententia solum id asserit de Baptismo. Ita *Sor. in 4. dist. 6. quæst. 1. art. 8. Nihilominus. P. Vasq. 3. part. d. 161. cap. 2. & alii. Fundantur, quia nihil debemus de Sacramentis affirmare, nisi quod certâ autoritate constat; sed de solo Baptismo nobis certâ autoritate constat, quod suum effectum, recedente fictione, nobis conferat; ergo &c. Quid in hac sententiarum varietate sentiamus, ut cum majore distinctione, & claritate procedamus, per sequentes conclusiones decidemus, & de singulis Sacramentis specialem difficultatem excitabimus. Sit Igitur.*

162. Difficultas 1. Utrum Sacramentum Baptismi fide susceptum, recedente fictione, reviviscat, & suum consequatur effectum? Affirmativè. Ita *D. Thom. 3. part. quæst. 69. art. 10. Magist. in 4. dist. 4. & cum illis omnes Theologi supra citati, & infra citandi. Probatur primò ex D. Aug. lib. 1. de Baptismo, cap. 12. & referatur in cap. Tunc valere dist. 4. de Consecrat. ibi: Tunc valere incipit ad salutem Baptismus, cum illa fictio veraci Confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseverante, peccatorum abolitionem non sinebat fieri; ergo &c.*

163. Probatur secundò ratione, quia Baptismus est Sacramentum necessarium ad salutem, & minimè iterabile, si semel validè sit susceptum; sed non decebat, hominem proprio effectu Baptismi semel validè suscepti, nec unquam postea iterabilis, perpetuò privari; ergo conveniens fuit, ut ejus effectus reservaretur conferendus tempore habili, quando primò fictio, sive impedimentum recesserit.

164. Difficultas 2. Qualesnam effectus conferat Baptismus, recedente fictione? Advertes, plures esse effectus Baptismi, ut in materia de Baptismo videri possunt. Primus est delere omnia peccata, tam originalia, quam actualia, ut est definitum in Concil. Florent. sub Eugenio IV. in decret. Fidei, & in Trid. sess. 5. can. 5. & sess. 14. cap. 1. Secundus est remittere, & delere omnem penam peccatis, etiam actualibus debitam: ex eodem Concil. Florent. cit. & Trid. cit. sess. 6. cap. 14. & sess. 14. cap. 8. Tertius est conferre gratiam justificantem cum reliquis donis, & virtutibus, quæ ipsam sublequantur: ut constat ex Trid. sess. 6. cap. 7. & sess. 7. cap. 6. 7. & 8. Quartus est imprimere characterem; ex eodem Trid. sess. 5. cap. 9. & ex cap. Majores, de Baptismo. Quintus aperire januam regni caelestis. Sextus est conjugere hominem cum Christo. Septimus est hominem subjicere clavibus Ecclesiæ, aliosque qui videri possunt apud Authores, qui de hac materia tractant. His positis.

165. Conclusio sit: Baptismus validè, sed fictè susceptus, recedente fictione, reviviscit quoad remissionem peccati originalis, aliorumque peccatorum actualium præcedentium ipsum Baptismum, quoad infusionem gratiæ, & remissionem penæ etiam temporalis, idque ex opere operato, sive ex vi ipsius Baptismi antea suscepti. Ita *D. Thom. 3. part. quæst. 69. art. 10. & ad 2. D. Bonav. in 4. dist. 4. p. 1. art. 2. quæst. 2. Richard. ibid. art. 1. quæst. 2. Durand. dist. 4. q. 4. Sor. dist. 6. q. 1. art. 8. Petr. Sor. lect. 4.*

*de Baptismo, Rosella. Sylvest. verb. Baptismus. Cajet. & omnes Thomistæ loco cit. P. Valent. q. 4. pun. 2. P. Soar. tomo 3. in 3. part. d. 28. sect. 4. P. Tanner. tomo 4. d. 4. quæst. 3. dub. 2. num. 62. P. Lago de Sacram. d. q. sect. 3. num. 23. P. Arriaga tomo 7. d. 14. sect. 1. P. Amicus tomo 7. d. 4. sect. 9. num. 176. Leon. tomo 1. tract. 2. d. 6. quæst. 13. P. Pal. tract. 18. d. amica, punct. 9. num. 4. P. Egid. 3. part. quæst. 62. art. 1. dub. 5. P. Layman. lib. 5. tract. 1. cap. 7. num. 4. & alii.*

Probatur primò ex D. Aug. lib. 1. de Baptismo cap. 12. ubi absolutè dicit, ad remissionem peccatorum prodesse. Et lib. 3. cap. 13. Valere ad dimittenda peccata. Et lib. 6. cap. 5. dicit Sub eo Baptismo peccata dimitti. Hoc idem dicit Auctor serm. de Passione, apud D. Cyprian. *Ibi redierint ad cor, inquit, constat ablutiois donum, & redit effectus manerunt; sed ex locis citatis planè videtur constare D. Aug. sensisse, & docuisse, Baptismum habere suum effectum, recedente fictione.*

Dicent 1. cum *Scot. & Gabr. apud P. Vasq. 3. p. d. 161. cap. 4. D. Aug. cit. solum intendere, Baptismum in eo casu reviviscere in ordine ad remissionem solum peccati temporalis debita: in Purgatorio. Sed contra primò, quia D. Aug. nunquam loquitur de peccati temporalis, sed semper de remissione culpæ, ut apparet ex locis citatis. Secundò, quia collatio gratiæ est effectus primarius Sacramenti Baptismi; remissio autem penæ temporalis, est effectus secundarius; ergo minùs consequenter procedunt hi Authores concedentes effectum secundarium, dum primarium negant.*

Dicent 2. cum iidem Doctoribus, & placet *P. Vasq. D. Aug. solum voluisse, Baptismum postea prodesse, quatenus ejus susceptio erat necessaria necessitate præcepti: & præterea sine illa non potest validè suscipi ullum aliud Sacramentum; ac proinde neque Sacramentum Pœnitentiæ, per quod deinceps remittuntur peccata. Et confirmatur, quia idem D. Aug. sæpè solum Pœnitentiæ in similibus casibus videtur tribuere remissionem peccatorum; ergo non loquitur in sensu proposito quæstionis.*

Sed contra primò, quia D. Aug. semper docet, Baptismum tunc valere ad remissionem peccati: & deinde operari salutem; sicuti priùs mala ejus susceptio operata est mortem; ergo agit de vera illius causalitate in gratiam; sicuti mala ejus susceptio fuerat antea vera causa mortis. Secundò, quia licet hæc expositio aptari possit prioribus verbis, non tamen aliis lib. 3. cap. 13. ubi ait: *Ut idem ipse, qui propter discordiam foris operabatur mortem, propter pacem intus operetur salutem: siquidem verbum operetur sonat actualem causalitatem in salutem, nisi velimus omnem verborum significationem mutare.*

Tertiò, quia si D. Aug. lib. 1. cap. 12. dicens: *Ut ad remissionem peccatorum ejus in unitate jam incipiat prodesse Sacramentum: solum denotaret, cum hominem jam satisfecisse præcepto de suscipiendo Baptismo o. malè dixisset, tunc primò incipere prodesse Sacramentum, quando sublata est fictio: siquidem ea utilitas satisfaciendi præcepto, jam inceperat ipsomet puncto, quo Baptismus fictè susceptus est; nam ab eo puncto homo liberatus est ab obligatione præcepti, & à debito suscipiendi Baptismum. Neque obstat confirmatio; siquidem D. Aug. nequaquam tunc tribuit solum Pœnitentiæ remissionem peccati, licet requirat eam penitentiâ ad hoc, ut auferatur obex. Quomodo autem hæc duo cohareant? Dicemus infra.*

Probatur

171. Probatur secundò, quia hoc idem communi consensu sentiunt Doctores, ita ut *Petr. Sor. cit.* dixerit, totam Ecclesiam amplecti in hoc sensu doctrinam D. Aug. tanquam piam: & *P. Soar.* aliq̄ Recentiores contrarium ut planè improbablee rejiciunt; sed in re gravi non debemus facile ab autoritate Doctorum recedere; ergo &c.

172. Probatur tertio, quia remissio peccati originalis ita est proprius effectus Baptismi, ut per se nullo possit alio medio obtineri juxta illud *Joan. 3. 5. Nisi quis renatus fuerit ex aqua. & Spiritu Sancto, &c.* & definitum est in Concil. Carthagin. Milevitan. Florent. & Trid. *sess. 6. can. 3. & sess. 7. can. 5. & in cap. Majores. de Baptismo;* atqui si Baptismus semel validè, & sicetè susceptus hunc effectum non habuit, necesse est, aut ut ipse repetatur, quod dici non potest, cum non sit iterabilis; aut ut ipse aliquando effectum hunc operetur; ergo illum operatur, recedente postea fictione per subsequenterem pœnitentiam.

173. Probatur quarto, quia fundamentum sententiæ contrariæ, quatenus putat, fieri non posse, ut remissio peccati mortalis simul accidat, & ex vi pœnitentiæ, seu contritionis, aut cujuscumque presentis dispositionis; & ex opere operato ipsius Sacramenti, nullius momenti est, ut ex statim dicendis constabit; ergo &c. Confirmatur, quia hoc ipsum accidit in ipso Sacramento Pœnitentiæ, ubi attritio, imò & contritio, simul, & per modum dispositionis, & ex opere operato ipsius Sacramenti, habet vim ad conciliandam peccati remissionem, ut ex communi supponimus; ergo &c.

174. Objicies 1. Non apparet quomodo Baptismus præteritus possit postea, recedente fictione, ad remissionem peccatorum concurrere; siquidem quando homo accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, virtute ipsius Sacramenti tollitur obex, sive peccatum; ergo non virtute Baptismi præteriti; ergo non apparet quomodo vivificetur ad causandam gratiam, & remissionem peccatorum. Confirmatur, quia si sicetè suscipiens Baptismus, quando accedit ad Sacramentum Pœnitentiæ, recipit gratiam intuitu Baptismi præteriti, etiam intuitu illius recipiet remissionem omnium peccatorum; siquidem nullum compatitur naturaliter cum gratia; hoc autem non videtur admittendum; alioqui Sacramentum Pœnitentiæ in tali casu nullum haberet effectum; si enim aliquem haberet, esset remissio peccatorum, quem tamen effectum non haberet, ut ex dictis constat; ergo &c.

175. Respondeo negando antecedens; in tali enim casu utrumque Sacramentum concurreret ad remissionem peccatorum, & gratiam conferendam, diverso tamen modo; nam, cum Baptismus ordinatur, & fuerit institutus ad tollendum peccatum originale, primariò, & directè illud tollit; secundariò autem, & indirectè tollit omnia alia, quatenus nullum compatitur cum gratia, quam confert: at verò Sacramentum Pœnitentiæ, cum ordinatur, & fuerit institutum ad tollenda peccata post Baptismum commissa, etiam hunc effectum primariò, & directè præstat; secundariò autem, & indirectè tollit etiam peccatum originale ob assignatam rationem. Nisi aliis terminis velis dicere, Sacramentum Pœnitentiæ ex vi suæ institutionis, solum tollere peccata post Baptismum commissa, ad quæ dimittenda solum habet Confessor potestatem; commissa verò ante Baptismum solum dimitti per concomitantiam, quatenus gratia sacramentalis non compatitur cum aliquo peccato.

176. Declaratur exemplo, nam per verba consecra-

*Tom. 2.*

tionis, quibus consecratur hostia, ex vi verborum, solum ponitur Corpus Christi Domini sub speciebus panis; cum tamen Corpus non stet sine sanguine, etiam per eadem verba ibi ponitur concomitanter Sanguis Christi Domini; ergo idem, proportionem habità, dicendum est de illis duobus Sacramentis quoad remissionem peccatorum. Neque reputandum est inconveniens, quod peccata illa tollantur per duo Sacramenta duplici illo titulo; siquidem hoc nihil aliud est, quam dicere, Deum ad dandam illam gratiam, & remissionem peccatorum moveri utroque Sacramento, quorum quodlibet illam petit ad tollenda peccata, ad quorum destructionem per se, & primariò ordinatur, licet per accidens, & secundariò tollat etiam alia, quæ sunt in subiecto, & impediunt proprium ejus effectum. Et ex his patet solutio ad confirmationem.

177. Instabis: Sacramentum Baptismi non potest gratiam conferre, nisi sublato obice; sed obex tollitur per Sacramentum Pœnitentiæ, quo posito, datur gratia; ergo quando Baptismus deberet operari, non habet quod operetur, cum jam supponatur gratia existens; ergo saltem non confert gratiam, recedente fictione. Respondeo negando minorem; neque enim obex impediens effectum Baptismi tollitur formaliter per Sacramentum Pœnitentiæ, sed per dispositionem ad illud requisitam, qualis est contritio, vel attritio cum Sacramento; quoties enim ponitur qualibet ex his formis, intelligitur subiectum capax consequendi remissionem peccatorum, & collationem gratiæ; ac proinde recipiendi effectum Baptismi, recedente fictione. Hoc tamen totum intelligitur pro priori signo, antequam Sacramentum Pœnitentiæ operetur, in quo primo signo operatur Sacramentum Baptismi, & pro posteriori Sacramentum Pœnitentiæ; siquidem suum effectum non posset producere, nisi præsupponeret in illa prioritate effectum Baptismi jam productum; quamdiu enim non tollitur originale, quod solum per Baptismum tollitur, Sacramentum Pœnitentiæ operari non potest.

178. Objicies 2. Aliquando tollitur, & quidem tolli potest fictio per solum contritionem; sed in hoc eventu non intelligitur, quo pacto operetur Baptismus, & suum effectum producat; ergo &c. Probatur minor, quia contritio directè auferat omnia peccata, utpotè quæ cum omnibus pugnat, & omnia detestatur; ergo omnia directè destruit, aut per se, aut per gratiam, quæ eam subsequitur; ergo nihil superest, quod Baptismus directè auferat, & operetur. Respondeo primò argumentum, si valeret, etiam probare, Sacramentum Pœnitentiæ nihil operari, quando pœnitens ad illud se disponit per contritionem, Patet, quia contritio tollit omnia peccata, & secum adducit gratiam; ergo quando postea advenit Sacramentum, nihil operatur. Cum tamen hanc consequentiam non admittant Adversarii, quam solutionem ipsi adhibuerint huic instantiæ, eandem nos argumento adhibebimus.

179. Respondeo secundò negando minorem; dicimus enim, tam Sacramentum Baptismi, quam Pœnitentiæ, etiam posita contritione, operari remissionem peccatorum, & gratiam conferre; hoc autem ut intelligas, & quo pacto fiat. Advertes primò, contritionem non esse formam justificantem, ut est communis sententia Theologorum, quos adducit, & sequitur *P. Soar. tom. 1. in 3. p. d. 4. sect. 8. & d. 8. sect. 3. Assert. 2. & tomo 3. de grat. lib. 7. cap. 8. & cap. 13. & seqq.* ubi id latè probat, tum ex

Z z z

Scriptura,

Scriptura, tum ex Trid. tum ex rationibus, quod idem etiam probat, & tenet *P. Lugo d. 8. de penit. sect. 4. & seqq.* eam tamen pro presenti ita:

180. Probo, quia contritio, cum sit actus transiens, non potest esse forma propriè justificans; siquidem hæc eo ipso, quod talis sit, formaliter facit hominem filium adoptivum Dei, eique similem in natura per participationem; hoc autem solùm habet gratia habitualis, quatenus sola per modum naturæ in ordine supernaturali est prima radix habituum supernaturalium, quibus homo operatur operationes divinas, quibus tandem Deo assimilatur in Visione, & dilectione ipsius Dei: Contritio verò, cum sit actus, & transiens, non potest esse radix habituum infusorum, nec habere se per modum naturæ in ordine supernaturali; ergo non habet ea, quæ requiruntur ad justificandum, sive ad rationem formæ justificantis.

181. Advertes secundò, cum contritio non sit forma justificans, etiam non esse formam formaliter expellentem peccatum habituale; siquidem peccatum habituale cum sit peccatum præteritum non condonatum, aut expiatum per condignam satisfactionem; contritio autem non sit condonatio Dei, nec etiam satisfactio condigna, non opponitur formaliter, neque formaliter destruit peccatum habituale, sed tantùm dispositivè, & de congruo, quatenus Deus infallibiliter promisit contritioni ut congruæ dispositioni condonationem peccati, & gratiam habitualem, quæ formaliter, & propriè tollatur macula peccati. Hoc posito.

182. Ad probationem argumenti dicimus, licet pro aliquo signo, & priori, intelligatur posita contritio, antequam Sacramentum operetur, pro eo signo non intelligi peccatum remissum, sed tantùm positam esse dispositionem quandam, quæ sufficeret ad impetrandam remissionem peccati, ita tamen ut pro eodem signo etiam intelligatur positum Sacramentum; his autem positis pro priori signo, effectus remissionis, qui pro signo sequenti intelligitur, provenit non minùs à Sacramento, quàm à contritione, cum utramque causam præsupponat pro eo signo, & utraque habeat vim ad hunc effectum præstandum. Igitur.

183. Hoc idem dicendum est in nostro casu, quando Sacramentum Baptismi præcessit tempore, & postea per contritionem tollitur obex: non enim intelligi priùs posita contritio, quàm Sacramentum, dum tollitur obex, sed utrumque simul; siquidem per contritionem tollitur obex, qui est carentia dispositionis debitæ ad remissionem peccati, & gratiæ infusionem; posita verò hac dispositione debitâ, statim reviviscit Sacramentum, & simul cum illa producit suum effectum; ita ut in eodem signo intelligatur gratia debita Sacramento, & debita contritioni; ac proinde in nullo signo supponitur peccatum remissum, aut gratia infusa, quin Sacramentum operetur. Vide *P. Lugo d. 9. de Sacram. à n. 38.*

## SECTIO VIII.

### Quid dicendum de Sacramento Pœnitentiæ?

184.



OPONO primò, Sacramentum Pœnitentiæ, si non potest dari validum, & informe, id est, sine infusione gratiæ, nunquam reviviscere ad gratiam conferendam, sicque de illo prout sic non habere locum quæstionem hanc de reviviscencia. Probatur facilè

ex dictis, ex quibus constat, sola Sacramenta posse reviviscere, quæ cum essent valida, dum susciperentur, non potuerunt causare suum effectum propter obicem appositum, quem, sublato obice, præstare possunt; sed Sacramentum Pœnitentiæ, ut supponimus, non potest esse validum, & informe, id est, non causativum sui effectus; ergo de illo prout sic non potest excitari præsens quæstio de reviviscencia.

Suppono secundò, præsentem difficultatem solùm habere locum in hoc Sacramento, si hoc dari potest validum, & informe. Utrum verò dari possit? Negant aliqui: plures tamen affirmant; pro quo: Suppono tertio ex materia de Sacramentis, quoties datur vera materia, & forma, ex quibus essentialiter constituitur Sacramentum, & intentio Ministræ, quam logicè requirit, dari Sacramentum verum, & validum. Suppono quarto ex materia de Pœnitentiâ, materiam proximam hujus Sacramenti ad ejus valorem requisitam, esse contritionem, aut saltem attritionem, non naturalem, sed supernaturalem, eamque efficacem, & formalem, ut docent communiter Doctores cum D. Thom. quos citat, & sequitur *P. Soar. tom. 4. in 3. p. d. 20. His suppositis.*

Difficultas 1. sit: Utrum hujusmodi attritio ad valorem Sacramenti requisita, debeat se extendere ad omnia peccata mortalia non confessâ? Dico 1. Hujusmodi attritio debet per se extendi ad omnia mortalia non confessâ. Probatur, quia tam attritio, quàm confessio est materia, & de essentia hujus Sacramenti; sed confessio per se debet esse integra de omnibus mortalibus non confessis; ergo & ita debet esse integra attritio. Confirmatur, quia attritio sine confessione de omnibus non sufficit; ergo neque confessio sine attritione de omnibus sufficit.

Dico 2. Hujusmodi attritio sufficiens ad valorem Sacramenti potest per accidens esse unius tantùm peccati mortalis, quin se virtualiter extendat ad omnia non confessâ. Ita *D. Thom. Sor. Cam. Caiet. Victor. Ledesm. Covar. P. Henric. P. Soar. P. Valens. P. Granad. P. Lugo P. Sal. P. Tanner. Dian. Bonac. Leand. & alii infra citandi.* Probatur, quia potest quis habens duo peccata mortalia, dolere de uno, quin doleat de alio, cujus invincibiliter non recordatur; sed hujusmodi dolor erit particularis per accidens unius tantùm peccati, & sufficiens ad valorem Sacramenti, ut patet; ergo &c.

Probatur Major, quæ sola indiget probatione: Primò, quia accidere potest, ut quis doleat propter metum gehennæ, & illam timeat, non timore summo super omnia, sed moderato, & mediocri super convenientiam, quam invenit in hoc peccato, cujus meminit, præciscendo à timore super majorem convenientiam, quam habet in alio peccato, cujus invincibiliter non meminit; sed talis attritio esset solius peccati, cujus homo meminit, quia ad aliud non extenderetur; ergo &c. Secundò, quia accidere potest, ut quis doleat propter turpitudinem peccati; & hæc hujus peccati, cujus meminit, sit gravissima: alia verò alterius peccati, cujus non meminit, sit minùs gravis; sed dolendo de illo, cujus meminit, non dolet virtualiter de alio, cujus non meminit; ergo &c.

Oppositum tenent *Adrian. Gabr. Major. Joan. Sanch. P. Vasq. P. Agid. P. Fagun. P. Laym. P. Præposit. & alii infra citandi:* pro quibus: Argues 1. Attritio aut est dolor propter gehennam, ejusque metum; aut propter turpitudinem peccati, prout est contra Deum: Si primum, virtualiter se extendit ad omnia mortalia; siquidem quod distinetur est